



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Antonii Bynaei de Calceis Hebraeorum Libri Duo**

**Bynaeus, Anthony**

**Dordraci, 1682**

Hugonis Grotii sententia leviter notata.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12835**

## 304 De CALCEIS HEBRÆOR.

conqueritur senex, in cuius domum Bachis erat introducta, si relevisse omnia dolia, omnes serias & tandem subjungit: *Pitissandi mihi quid vini absumpsit.* Monuit hinc Propheta, *Prohibe pedem tuum à discalecatione, & guttur tuum à siti,* hoc est, ne amplius more meretricum nudos pedes tuos ostende, & guttur tuum ne sitiat vinum; quod libidinem incitat. *Hanc sententiam verba sequentia optime confirmant, quibus obstinatus populus introducitur respondere: Nihil est, non: nam diligo alios, & eos sequar.* Quasi dicat, hæc frustra mones, abstinere enim nequeo, cum amicos diligam, & eos sequi velim. *Hæc mea de hoc loco sententia.* Vir illustris Hugo Grotius etiam vidit ad compescendam libidinem hoc monitum pertinere, sed non recte mihi videtur id exposuisse. *Prohibe, inquit, pedem tuum à nuditate, i. e. si quis tibi dicat (id enim hic supplendum) Noli denudare partes muliebres.* Eas enim Hebrei, ut & alii, honeste pedum vocant nomine. *Vide Gen. 49. 10. Et guttur tuum à siti)* Nova translatio in ipsa

com.

Grot. ad  
Ier. 2. 25.

comparatione: nam sitim intelligit libidinem. Guttur quid sit intelliges ex Prov. 30. 16. 20. Pedes saepe pro pudendis poni est verissimum. Sed cum verbum γυτρ propriè notet discalceatum, pes pro pudendo hic sumi nequit. Pariter huc non quadrat, quod de siti & gutture monet.

VII. Observatum quoque fuisse apud veteres Hebræos, ut qui mortuum lugerent incederent nudipedes, jam dudum, præter Flacium Illyricum, complures viri eruditissimi ex loco apud Ezechiel insigni collegerunt, ubi Prophetæ à Numine jubetur contra morem in uxoris funere cuncta retinere lætitiae signa. Verba Dei sunt: *Fili hominis, ecce ego eripiam tibi desiderium oculorum tuorum per plagam, tu tamen non planges, neque flebis, neque ullas lacrymas emittes, Clamare desiste, non facies luctum funebrem, tiaram tuam alliga tibi, Et calceos tuos pone in pedibus tuis, Et ne obnubas mystacem, Et panem hominum ne comederas. Fuerunt hæc omnia illis temporibus luctus indicia. Nam & plangebant, flebant,*

Illyr. clavi  
Script. p. 1.

Ezech. 24.  
16. 17.